MASTER NEGATIVE
NO. 93-81668-12

AUTHOR:

MICHAELIS, JOHANN GEORG

TITLE:

DE TETRACTY PYTHAGORICA...

PLACE:

FRANCOF. AD VIADRUM

DATE:

[1735]

Master Negative #

93-81668-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

183P99 Michaelis, Johann, Georg. 1690-1758.
DM
...De tetracty Pythagorica...
Francof. ad Viadrum, 1735. Sq.O. 3,+27p.


Academic dissertation, I.T. Cabrit, respondens.


197941

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8-12-93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches



De tetracty Pythagorica



COLLEGII DISPVTATORII PVBLICI
EXERCITATIO VII.

DE

TETRACTY PYTHAGORICA

QVAM
FAVENTE SVPREMI NVMINIS
GRATIA
IN ALMA VIADRINA
PRAESES

IO. GEORGIVS MICHAELIS,

ADHVC PHILOL. SACR. PROF. PVBL. ORD.
NVNC. S.THEOL P. P. O. ET ILLVSTR. GYMN.,
HALENS. REFORM. EPHORVS VOCATVS

ET

RESPONDENS

ISAACVS THEODORVS CABRIT,
Cotbus. Lusatus, Philos. & Theol. Cultor,

IN AVDITORIO MAIORI
ad d. XXVI. Maii A. C. cIɔ Iɔ CCXXXV.
placidæ συμφιλολογούντων disquisitioni submittunt.

FRANCOF. ad VIADRVM,
Typis SIGISMVNDI GABRIEL. ALEX.

VIRIS

SVMME REVEREND IS,

DOCTISSIMIS, AC CELEBERRIMIS

DOMINO

PHILIPPO FORNERET,

SVPREMI CONSISTOII GALLICI MEMBRO DIGNISSIMO, COETVS GALLICI BEROLINENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO,

DOMINO

SAMVELI FORMEY

ECCLES. GALL. BEROLLIN. PASTORI MERITISSIMO,

MAECENATIBVS ATQVE FAVTORIBVS OB INNVMERA IN SECOLATA BENEFICIA AD VRNAM VSQVE COLENDIS

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS IN SEMPITERNAM GRATI ANIMI MEMORIAM

DAT, DICAT, CONSECRAT

RESPONDENS.

EXERCITATIO PHILOLOGICA.

DE

TETPAKTY PYTHAGORICA.

§. I.



Hilosophiam Pythagoricam multa habere singularia, qui illam propius aliquanto considerat, non facile negabit. Obscurum illud & symbolicum dicendi genus, regimen, quod in vestitum, cibum, sermonem, omnesque adeo disciplinæ suæ alumnorum actiones sibi adfectabat, attentionem & tacitam aliquam admirationem excitant. Sunt autem pleraque Pythagoreorum mysteria eo difficiliora, quod pro sectæ suæ instituto dogmata sua quam solicite celauerunt. Id omni iure de ipsorum adeo decantata TETPAKTY adfirmari potest, quam tanto prosequebantur honore, vt vel ob illius manifestationem magistrum fecerint maximi, eandemque sacratissimi iurisiurandi loco habuerint. Fuerunt equidem iamdum & antiquioribus & recentioribus temporibus, qui illius aliquam rationem reddere, eandemque ex tenebris suis eruere sunt adnisi. Ex illis eminet PHILO, homo & ingenii & sagacitatis & sapientiæ laude conspicuus, qui cum in philosophia Platonica probe versatus esset, doctrinamque de numeris in magno haberet pretio, peculiarem libellum de hoc argumento conscribere est pollicitus (1), qui num vmquam lucem adspexerit, an vero temporis

Recensentur scriptores, qui de tetracty Pythagorica sunt commentati.

(1) de mund. opif. Opp. p. 10.

poris diuturnitate nobis fuerit ereptus, non facile dixerim. ERHARDVS WEIGELIVS, celeberrimus Ienensium philosophus & mathematicus, Pythagoreorum tetractyn pariter excussit (2). Sed vterque & PHILO & WEIGELIVS in eo tantum occupati fuerunt, vt huius rationem ex doctrina de numeris expedirent, nisi quod tamen etiam WEIGELIVS tetractyos Pythagoricæ vestigia in corpore naturali quæsierit. Aliam viam est ingressus GOTHEFRIDVS VENDELINVS, vir doctissimus, qui in epistola, ad *Eryc. Puteanum* data & a. 1637. formis expressa, demonstrauit: Pythagoræ τετρακτυν esse ipsum nomen τετραγραμματον, in cuius notitiam ex consortio cum Iudæis inciderit. Quæ sententia cum specie se sua satis commendat, plures admodum calculum eidem adiecerunt. Sed enim quia in illa nondum omnia ad liquidum mihi perducta videntur, præsentem commentationem concinnaui, in qua cum primis operam dabo, vt demonstrem, (1) qua veneratione Pythagorei *tetractyn* suam sint prosecuti, (2) quid per illam secundum characteres, quibus eandem insigniunt Pythagorei, sit intelligendum.

§. II.

Examinatur interpretatio SELDENI *versuum quorundam, sic dictorum Pythagoræ.*

Quidquid huius est exercitationis, illud omne recumbit in illos versus, quos habemus in aureis carminibus Pythagoræ, cuius demum cumque illa sint auctoris, qui his concepti sunt verbis:

Ναι μα τον ἀμετερα ψυχα παραδοντα ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ,
Παγαν ἀεναυ φυσεως, v. 47. 48.

Quæ verba erudit. SELDENVS ita conuertit (3): *non*

(2) MORHOF. Polyh. Philos. L. I. c. II. n. 4. p. 15. (3) de DIS Syris Synt. II. c. I. p. 135.

non per τετρακτυν, siue *quaternarium numerum, qui animæ nostræ fontem dedit, in quo perennis naturæ, siue æternitatis fundamenta sunt.* Aut, *non per τετρακτυν, qui vitæ nostræ fontem dedit, in quo æternæ naturæ sunt radices.* Nullam prorsus video rationem, quare SELDENVS illud ναι per *non* interpretetur, cum tamen, quod apud omnes est in confesso, confirmandi & adseuerandi sit particula: quoties autem cumque τω μα adiungitur, tum id, quod adfirmamus, iurisiurandi quasi religione & sacramento munimus, quod exemplis firmat doct. DEVARIVS (4). Nec, quod proxime sequitur, παγαν ἀεναυ φυσεως diuellendum existimo ab eo, quod proxime anteuertit τετρακτυν; quod enim in sequentibus luculentius declarabimus, in τετρακτυ rerum omnium fontem atque originem quæsiuerunt.

§. III.

Inquiritur in significationem vocis τετρακτυς.

Prius autem quam ad ipsam rei inuestigationem nos accingamus, oportet paucis in vocis originem inquiramus, cum & illa nobis haut raro viam pandat, qua in intimiorem rei notitiam nos immittere queamus. Vox petita est a numeris, quorum Pythagoras erat amantissimus, & vel τετρακτυς, vel τετρας effertur. HESYCHIVS in illius interpretatione dum versatur, non tam eiusdem formam ac internam significationem respicit, ΤΕΤΡΑΚΤΥΣ, inquit, Πυθαγορικος ὁρκος, ἠγουν των τεσσαρων ϛοιχειων σημαινων. A quaternario numero adpellationem enatam fuisse, ponit quidem, simul vero symbolicam illius rationem euoluit, scilicet hac ipsa voce digitum intendi in quatuor elementa, ex quibus omnia corpora huius vniuersi sunt exorta; vnde etiam adpellationis rationem arcessit PHILO (5), cuius verba in sequentibus adducemus. MACROBIVS secun-

(4) de partic. lingu. græc. p. m. 311. 312. (5) de plantat. Noë p. 231.

cundum internam & propriam suam potestatem commode admodum per QVATERNARIVM latine reddidit; vis quippe huius nominis a numeris est petita (6).

§. IV.

Iurauisse & per ipsam tetractyn & per illius inuentorem.

Habuit vero **τετρακτυς** apud Pythagoreos rationem sanctissimi iurisiurandi, adeo vt illius beneficio fidem suam obstringerent, nec cuiquam integrum esset, sacramentum mystica hac voce conceptum, temeritate violare. Iurisiurandi vicem præstitisse §. præced. ex HESYCHIO vidimus. Idem illud clarius aliquanto explanat HIEROCLES, qui rem ita disceptat: *ἔπειτα καὶ ὁ ὅρκος αὐτος γινεται δογμα, ὅτι τον διδασκαλον της ἀληθειας ὀυτω δεοι τιμαν, ὡς καὶ ὀμνυναι αὐτον, εἰ που δεοι προς βεβαιωσιν των δογματων καὶ μη μονον το* ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ *περι αὐτου λεγειν, ἀλλα καὶ ταυτα ὀυτως ἐχειν* ΝΗ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ. *Adhæc hoc ipsum iusiurandum* habet rationem *dogmatis, veritatis magistrum tanto honore esse adficiendum, vt etiam fas sit per ipsum iurare; si quidem illud ad confirmationem præceptorum requiratur. Nec solum dicendum* esse IPSE DIXIT, *verum etiam ita sese habere* PER IPSVM *iurare licere* (7). Ex quibus verbis intelligimus, **τετρακτυν** quidem non ipsam iurandi formulam ingressam, nec iusiurandum ad illam institutam fuisse, sed tantum rationem atque occasionem fuisse, cur tanti fecerint Pythagoram, vt vel solis ipsius verbis fidem adhibuerint, vel veritatem præceptorum, ab ipso traditorum, sanctissimo sacramento sanxerint. Idem docet IAMBLICHVS, Pythagoreos non tam per **τετρακτυν** iurasse, nec nomen Pythagoræ expressisse, sed per inuentionem numeri *quaternarii* iusiurandum concepisse (8). Contra vero PORPHYRIVS per ipsam **τετρακτυν** iurasse adseuerat: **διοπερ ἐν τι**

(6) Saturn. L. I. c. VI. p. 33. (7) p. 166. (8) de vit. Pythag. c. CL. p. 127. c. CLXII. p. 138. 139.

ἐν τι των παρ' αὐτοις ἐν τοις μαθημασιν ἀπορρητων προχειρισαμενοι, γλαφυρον, ἀλλως γαρ προς πολλα διατεινον φυσικα συντελεσματα, την τε λεγομενην ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ **δι' αὐτης ἐπωμνυον**, *ideoque, quotiescumque ex scientiæ suæ secretis scitum aliquid & elegans essent tradituri, & ex qua multa physica conclusiones educerentur, tum inprimis tetractyn, quam vocant, per eam* iurabant (9). Per ipsam hanc **τετρακτυν** iurasse, eandemque singulari iurisiurandi religione sacram fuisse, LVCIANVS confidenter satis adseuerat, *εἰσι δε οἱ καὶ την* ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ *τον μεγιστον ὁρκον αὐτων, sunt autem & qui* QVATERNIONEM *summum ipsorum sacramentum habent* (10). Ipso etiam opere per **τετρακτυν** iurasse, idem ille, doctrinam Pythagoræ de numeris derisurus, docet, vbi aliquem iurantem introducit: *ὀυ μα τον μεγιστον τον ὁρκον τα* ΤΕΤΤΕΡΑ, *ὀυ ποτε θειοτερους λογους ἠκουσα, ὀυ δε μαλλον ἱερους per maximum iuramentum* QVATVOR (tetractyn), *numquam neque diuiniores, neque sanctiores sermones audiui.* Pythagoreos autem non per ipsam **τετρακτυν** iurasse, probat PALMERIVS (11), vtrumque vero conciliant HOLSTENIVS (12) & KVSTERVS (13).

§. V.

In tetracty diuini aliquid latere.

Ex his autem, nisi me omnia fallunt, hoc videre videor, **θειον** aliquid in **τετρακτυ** latere, vel summam totius philosophiæ Pythagoricæ symbolice contineri, vt ob **τετραδος** manifestationem magistrum tanto honore dignum iudicauerint. Nihil hic contra Pythagoreorum sententiam adfirmo, prono enim alueo id, quod dixi, ex HIEROCLIS verbis, quæ in dissertationis processu adfert, sequuntur: **παραδεδοται δε ἡ τουτου γνωσις τοις πυθαγορειοις δι' αὐτου του πυθαγορου, ὁν καὶ νυν ἐπο-**

(9) de vit. Pythag. c. XX. p. 29. (10.) dial. pro lapſ. inter ſal. opp. T. I. p. 521. (11) exercit. p. 228. (12) ad Porphyr. de vit. Pythag. p. 28. 29. (13) ad Iamblich. de vit. Pythag. p. 127.

ἐπομνυται ὁ των ἐπων τουτων συγγραφευς, ὅτι της ἀρετης ἡ τελειωσις προς την της ἀληθειας ἐλλαμψιν ἡμας ἀναξει, tradita autem est horum cognitio Pythagoreis per ipsum Pythagoram, per quem etiam in præsentia auctor carminum iurat, fore scilicet, vt virtutis perfectio ad veritatis splendorem nos sit adductura. Inde autem, vbi docuisset, iusiurandum, diis præstitum, fide sancta seruandum esse, paucis interiectis hunc versuum horum sensum esse contendit: *ἰδια δε ὀμνυσθαι κατα του παραδοντος ἡμιν την* ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ *διδασκαλου, ὁς οὐκ ἠν των ἀθανατων θεων, οὐδε των φυσει ἡρωων, ἀλλ' ἀνθρωπος ὁμοιωσει θεου κοσμηθεις, καὶ προς τους ἀφ' ἑαυτου θειαν ἀποσωζων εἰκονα, speciatim iurari per doctorem, qui nobis* TETRAKTYN *tradidit, qui nec erat ex immortalibus diis, nec ex illorum numero, qui natura sunt heröes, sed homo similitudine dei ornatus, & apud* [illegible] *diuinæ similitudinis dignitatem conseruans* (14). Negat [illegible] hagoram ex immortalibus diis esse, nec heroum [illegible]mero inserendum, nihilo tamen minus illum diuina auctoritate prosequendum esse ob diuinam illam ac mirabilem tetractyn, cuius notitiam discipulis suis impertierit. Vidit hoc ipsum vir doctiss. LVD. CAELIVS RHODIGINVS, qui hunc in modum supra citatos versus interpretatur: *cuius* (sc. *τετρακτυος*) *cognitio Pythagoreis ab ipso tradita Pythagora est, per quem etiam iurabant, veluti iurare per magistrum deceat, obseruantiæ ac venerationis ratione, qui* QVATERNARII *ipsis numerum tradidisset, quique non vtique deus fuerit immortalis, non heros, sed vir similitudine dei præditus* (15).

§. VI.

Perfectio QVATERNARII, quam (1) in numeris habeat ostenditur.

Quæ igitur sit vis *τετραδος*, & quo loco apud Pythagoreos fuerit habita, vidimus, sed nondum omnem illius rationem in apricum produximus. Quare id agamus necesse est, vt quid per *τετρακτυν* intellectum velint, anquiramus. Nihil omnino est, quod perfectionis aliquid vspiam refert, quod *τετρακτυν* ambitu suo complecti non exstiment: est quippe symbolum consummatissimæ perfectionis. Sed enim cum hæc notio sit tantum *relatiua*, nec *reale* quid atque solidum in rebus ipsis ponat, verum ordinem tantum ac relationem indigitet: nec numerus esse, nec cogitationibus nostris concipi possit prius, quam res, quæ ab inuicem natura, vel multitudine distinguuntur, existant, indagemus oportet id, quod tanto nisu ad quaternarium numerum relatum cupiuerunt. Varia vero illius contemplatio instituitur, vel enim mysterium in numeris ipsis, vel in rebus corporeis, vel spiritualibus & quidem speciatim anima, vel denique in ipso deo, quatenus perfectionis omnis vberrimus fons existit, solicita cura quæritur. Prius quod spectat, in numero quaternario fons atque radix omnium numerorum continetur. Numerus denarius omnium numerorum simplicium est perfectissimus, quia ad illum constituendum numeri, quicumque haberi possunt, concurrunt, sed vero hos ipsos quaternarius potentia sua complectitur. Quod si enim numerum binarium addideris ternario, emergit inde quinarius, si binarium quaternario, habebimus senarium, quaternarius iunctus ternario efficit septenarium, quaternarius, ternarius & numerus vnitatis vbi supputantur, emergit octonarius; tandem vero quaternarius cum numero vnitatis, binario & ternario constituit denarium. Vnde oppido clare adparet, quaternarium numerum fontem esse atque radicem omnium reliquorum numerorum, vtpote qui ex illo tamquam matre progignuntur. Ita sane putat PHILO, græcanicæ philosophiæ peritissimus, cuius verba hæc sunt: *ἐν μεν γαρ ἑνος και τετταρων πεντας ἐστι, ἐκ δε δυοιν και τετταρων ἑξας, ἑβδομας δε ἐκ τριων*

και

(14) L. A. L. XXII. c. IX. p. 1039. (15) de Plantat. Nöe p. 231.

καὶ τετταρων. καὶ κατα την τριπλην συνθεσιν, ἐξ ἑνος καὶ τρι-
καὶ τετταρων ὀγδοας. καὶ παλιν ἐκ δυοιν καὶ τριων καὶ τεττα-
ων καὶ τετταρων ὀγδοας. καὶ παλιν ἐκ δυοιν καὶ τριων καὶ τεττα-
ρων, ὁ ἐννεα ἀριθμος, δεκας δε ἐκ παντων, ἐν γαρ καὶ δυο
καὶ τρια καὶ τετταρα δεκα γεννα (15). Aliam rationem init HIEROCLES, numeros semper pares coniungendo, quo sic septenarium, tamquam ex illis minus genitum, commendabiliorem redderet. En illius verba: ἡ μὲ γαρ μονας, ὡς ἀρχη παντος ἀριθμου, τας παντων δυναμεις ἐν ἑαυτη συνεχει, ἡ δε ἑβδομας, ὡς ἀμητωρ καὶ παρθενος την της μοναδος ἀξιαν δευτερως ἐχει. Οὐτε γαρ γενναται ἐξ ἀριθμου τινος των ἐντος δεκαδος, ὡς και ο δ ἐκ του δις β και ὁ ἑξ, ἐκ δις γ, και ὁ η ἐκ του δις δ', και ὁ θ' ἐκ του τρις γ' και ὁ ι, ἐκ του δις ε. Οὐτε γεννα τινα των ἐντος δεκαδος ὡς ὁ δυο τον τεσσαρα, και ὁ γ. τον ἑξ και τον θ. και ὁ ε. τον ι. της δε ἀγεννητου μοναδος και της ἀμητορος ἑβδομαδος ἡ ΤΕΤΡΑϹ μεση κειμενη, τας των γεννωντων και γεννωμενων δυναμεις ἁμα συνειληφε, μονη των ἐντος δεκαδος καὶ γεννωμενη ὑπο τινος ἀριθμου, και γεννωσα τινα. ἡ γαρ δυας ἑαυτην διπλασιασασα την ΤΕΤΡΑΔΑ γεννα. ἡ δε ΤΕΤΡΑϹ δις γενομενη τον ὀκτω ἀποτελει (16). Cum igitur in numero *quaternario* omnes numeri potentia contineantur, qui pro diuersa ratione coniuncti ac compositi, alios omnes numeros ex se gignunt & efficiunt, hinc facile patet ratio, quare tantam dignitatem eidem adscripserint. In numero quaternario fontem etiam omnium numerorum contineri, LVCIANVS docet, vbi enim aliquem numerare iusserat, ἑν, δυο, τρια, τετταρα, *vnum, duo, tria, quatuor*, pergit, ὁρας, ἁ συ δοκεεις τετταρα, ταυτα δεκα εισι καὶ τριγωνον ἐντελες και ἡμετερον ὁρκιον, *vides, quæ tibi videntur quatuor, sunt decem & trigonum perfectum, nostrumque iuramentum* (17). Quare IO. PROTOSPATHARIVS ad HESIODVM (18), τελεια, infit, ἀρα ἡ ΤΕΤΡΑϹ, και ἀξια τιμασθαι. Ἐτιματο και παρα τοις Πυθαγορειοις. Vnde QVA-

(15) de plantat. Nöe p. 231. (16) in aur. carm. p. 168. (17) de vit. auct. Opp T. I. p. 362. (18) ἡμερ. v. 795.

QVATERNIONEM non sine ratione LVCIANVS nominat τον ἐντελη αὐτοις ἀριθμον ἀποτελειν *perfectum ipsis numerum constituere* (19).

VII.

(11) *In corporibus.*

Quoniam vero ad ordinem numerus plurimum valet, qui inde proficiscitur, vbi numeri diuersi in vnum conflantur, vel etiam ab inuicem disiunguntur, vt sic vel conuenientia, vel distinctio rerum animaduerti possit, numerum ad ipsam naturam, resque in toto hoc vniuerso occurrentes, transtulerunr. In hac rerum vniuersitate omnia sapientissimo disposita esse ordine, *nihil ibi esse fortuitum, nihil tumultuarium prouenire: sed vniuersa illic diuinis legibus & stata ratione procedere*, vt elegantissimis MACROBII verbis vtar (20), aduertebant. Inde in hanc ingrediebantur sententiam, quem ad modum concentus musicus ex apta numerorum compositione exsurgit; ita etiam totum hoc vniuersum ad numeros constructum esse, quo sic suauissimus totius naturæ concentus & harmonia attendenti adparet, quo de prolixius commentatur, quem modo nominaui, MACROBIVS (21). Inter alios vero numeros, ne extra oleas vagemur, QVATERNARIVM in singulis corporibus deprehendebant. Corpus tamquam solidum quid, trina dimensione præditum esse, nemo facile inficias ibit, ad perfectam autem corporis constitutionem requiri iudicabant, *punctum, lineam, superficiem*, denique vero *soliditatem*. Quas corporis proprietates vbi ad numeros redigebant, QVATERNARIVM

(19) opp. T. I. dial. pro lapf. inter salut p. 521. conf. EDVARD. de CHERBVRY de relig. gent. c. X. p. 88. (20) in somn. Scip. L. II. c. I. p. 118. (21) l. c. p. 116-120.

VM facile eliciebant. Punctum respondebat *vnitati*, linea *binario*, superficies *trinario*, soliditas tandem *quaternario*. Audiamus HIEROCLEM, mysteria hæc Pythagorica ita pandentem: το σημειον, inquit, ἀναλογον ἐςι μοναδι, ἡ δε γραμμη δυαδι, ἀπο τινος γαρ ἐπι τι. και τριαδι προσηκει ἡ ἐπιφανεια, ςοιχειωδεςατον γαρ των ἐυθυγραμμων το τριγωνον. το ςερεον δε οἰκειον τη ΤΕΤΡΑΔΙ. ἡ γαρ πρωτη πυραμις ἐν τη ΤΕΤΡΑΔΙ θεωρειται. τριγωνου μ' βασεως ὑποτιθεισης, του τρια. κορυφης δε ἀυτης ἐπιτιθεισης, του ἑνος, *punctum respondet vnitati, linea vero binario, fertur enim ex termino ad alium, sed ternario conuenit superficies, triangulus enim omnium figurarum, quæ rectis constant lineis, est principium quasi & elementum. Solidum vero proprium est quaternario. Prima enim pyramis in quaternario conspicitur: cuius basin triquetram ternarius efficit numerus, summitatem vero vnitas* (22). Ex his igitur consecutionis lege hoc sequitur, QVATERNARII vestigia æque late sparsa esse, ac hæc rerum vniuersitas, corporibus plena, est fusa; quidquid enim soliditatem habet, quæ a corpore reali seiungi non potest, illud iuxta ea, quæ modo demonstraui, quaternarium omnino præfert. Verum enim vero hoc nondum omnem quaternarii perfectionem exhaurit. In ipsis quatuor mundi elementis, quæ singulis huius vniuersitatis corporibus originem præbuerunt, sapientissimum fabricatorem haut leuem quaternarii adumbrationem dedisse autumant, quibus addunt, quatuor anni tempestates. In confirmationem huius rei iuuabit audire PHILONEM, qui rem ita disceptat: τας τε γουν του παντος ῥιζας, ἐξ ὡν ὁ κοσμος, τετταρας ἐιναι συμβεβηκε, γην, ὑδωρ, ἀερα, πυρ και τας ἐτησιους ὡρας ἰσαριθμους χειμωνα και θερος, και τας μεθοριους ἐαρ τε και μετοπωρον, *quare vniuersi radices, ex quibus mundus hic constat, quatuor numerantur, terra sc. aqua, äer, ignis, totidemque anni tempestates, hiems & æstas, & qui his succedunt, ver & autumnus* (23).

(22) p. 168.

(23). Cum quibus consentiunt omnino, quæ HIEROCLES de hoc ipso numero habet: τα ἐντα παντα ἡ ΤΕΤΡΑC ἀνεδησατο, ςοιχειων ἀριθμον, ὡρων του ἐτους, ἡλικιων, συνοικισμων QVATERNARIVS *omnia, quæ sunt, complectitur, elementorum numerum, tempestatum anni, ætatum, societatum* (24). Nec solum in natura QVATERNARII vim conspicere se posse coniectabant, verum etiam in ipsis concentibus musicis eiusdem concursum ad suauem modulorum harmoniam multum facere sibi persuadebant (25). Quo vero modo Pythagoræ tetractys ad ipsa elementa, eorundemque iuxta numeros constitutionem ex mente TIMAEI LOCRI & PLATONIS sit adcommodata, docet CHERBVRIVS (26).

§. VIII.

Sic igitur videre quidem licet, corpora huius vniuersi singula, &, qui in illo deprehenditur, ordinem vmbram aliquam QVATERNARII præ se ferre. Quoniam vero res spirituales corporeas & extensas natura sua longe superant, multum certe perfectionis quaternario decederet, nisi & huius aliquid in mentibus siue spiritibus ostendi posset. Quare vbi diuersas animæ facultates considerarunt, quibus vires suas exserit, in illis quaternarium inuenire difficile haut fuit. Has ita enumerat HIEROCLES: και κριτικαι δε δυναμεις ἐν τοις ουσι τεσσαρες, νους, ἐπιςημη, δοξα και αἰσθησις. Κρινεται γαρ παντα τα ὀντα ἡ νω, ἡ ἐπιςημη, ἡ δοξη, ἡ αἰσθησει, *sed quod iudicandi facultates spectat, illarum in iis, quæ sunt, quatuor numerantur, mens, scientia, opinio & sensus. Omnia quippe, quæ sunt, iudicantur vel mente, vel scientia, vel opinione vel sensu* (27). Sed enim hac præcellentia non ea solum

(III) *In mente ipsaque sanitate.*

(23) de plantat. Nöe p. 230. 231. de mund. opif. p. 10. 11. (24) p. 169. (25) RHODIG. c. I. (26) c. I. c. X. p. m. 89. (27) p. 168. conf. RHODIG. L. A. L. XXII. c. IX. p. m. 1039.

lum mentis facultas gaudet, quam contemplatiuam
adpellare moris est, verum etiam voluntas, in cuius
actionibus proportionem aliquam, numero quaterna-
rio adstrictam animaduerterunt. Hanc potissimum
in *iustitia*, virtutum omnium directrice, obseruari
posse autumat PHILO, qui cum demon-
strasset, quadrangulum rectis constare angulis, pergit:
αἱ (sc. γωνιαι) δ' εἰσιν ὀρθοτητος λογȣ σαφη δειγματα, πη-
γη δε ἀενναος ἀρετων ὁ λογος. ἀναγκη μεν τοι τας τȣ τετρα-
γωνȣ πλευρας ἰσας εἰναι. δικαιοσυνην δε ἰσοτης την ἐξαρχον
και ἡγεμονιδα των ἀρετων ἐτεκεν. ὡςε ἰσοτητος και δικαιοσυ-
νης και πασης ἀρετης, χωρις των ἀλλων, ἐπιδεικνυται τον
ἀριθμον εἰναι συμβολον, *hi* (anguli) *rectæ rationis manife-
sta sunt indicia. Est autem recta ratio perennis fons virtutum.
Necessum tamen est quadranguli latera esse æqualia. Aequalitas
vero iustitiam præstantissimam ac principem omnium virtutum pro-
creauit; adeo vt æqualitatis &* iustitiæ, *omnisque adeo virtu-
tis præter alia, hic numerus symbolum esse demonstretur* (28).
Cum autem virtutes splendoris multum animæ conci-
lient, & ad eiusdem perfectionem faciant plurimum,
non iniuria de tracty pronuntiat MACROBIVS, *eam
quasi ad perfectionem animæ pertinere* (29). Sed vero quæ
adhuc de viribus animæ disputata sunt, ea vel tantum
in adlusione ad numerum quaternarium consistunt,
vel quatenus ille symbolum aliquod perfectionis men-
tis habetur. Sunt tamen effectus aliqui, quos a te-
tracty, tamquam caussa proxima, deriuant. Ita enim
LVCIANVS de Pythagoreis adfirmat, οἱ ὑγειας ἀρχην
ἐκαλεσαν, *alii* (tetractyn) *sanitatis principium adpellant* (30).
Quod si igitur tetractys ex ipsorum sententia sanitatis
est principium, aliquid ad valetudinem tuendam con-
firmandamque fecisse necessum est. Nisi etiam hic a-
liquis

(28) de plant. Nöe p. 231. (29) in somn. Scip. l. I. c. VI. p. 34. (30) dial. de lapf. inter salut. p. 521. opp. T. I.

liquis symbolici quid subfuisse contendat, hoc enim
non obscure colligere licet ex iis, quæ in proxime su-
perioribus disserit: και τοιγε τριπλȣν αὐτοις τριγωνον, το
δι ἀλληλων το πενταγραμμον, ᾧ συμβολῳ προς τȣς ὁμοδο-
ξȣς ἐχρωντο, ὑγεια προς αὐτων ὠνομαζετο, *& triplex illarum
triangulus, qui alternatim inter se iunctus quinquelinearem figuram
constituit, quo symbolo apud eiusdem sententiæ sectatores vtebantur,
sanitas adpellabatur* (31).

§. IX.

Per tetractyn ipsum DEVM *intellexerunt.*

Ex iis igitur, quæ hactenus in medium produxi-
mus, dilucide admodum adparet, nihil omnino esse
rerum creatarum, in quibus quaternarii vis non perspi-
ciatur. Cum autem & res omnes, & ordo longe sa-
pientissimus, qui animos nostros in admirationem ra-
pit, ortum illi suum acceptum referant, quem ob di-
uinam suam virtutem & omnibus numeris absolutam
potentiam fabricatorem & opificem totius vniuersi
prædicamus; per tetractyn ipsum deum, omnis perfe-
ctionis exemplar consummatissimum intellectum vo-
luerunt. Quod ne temere adseuerare videamur, e re
nostra erit, verbis illorum, qui Samii magistri vestigia
legerunt, comprobasse. Dei adpellatione qua terna-
rium insignit HIEROCLES, nuncupando ipsum θεον
νοητον (32), item θεον δημιȣργον. Explicatius aliquanto
diuinitatem eidem adscribit, hunc in modum disse-
rens: ἐςι δημιȣργος των ὁλων και αἰτια ἡ TETRAC, θεος νοη-
τος, αἰτιος τȣ ȣρανȣ και αἰσθητȣ θεȣ, *est* QVATERNARIVS
*opifex rerum vniuersitatis & caussa, deus, qui sub intelligentiam
cadit, auctor cælestis & sensibilis dei* (33). Nec hoc nomine
aliquem ex deorum inferiorum turba, verum ipsum
deum summum, patrem deorum & hominum, quem Io-
uem vulgo adpellant, indigitarunt (34). Talem etiam
nobis

(31) c. l. (32) p. 167. (33) id. p. 171. (34) id. p. 203.

nobis tetractyn deſcribit NICOMACHVS GERASENVS, qui in *arithmeticis* ſuis *theologicis*, quorum argumentum PHOTIVS exhibet (35), ex Pythagoreorum mente ita diſſerit: ἡ ΤΕΤΡΑC ἀυτοις θαυμα μεγιϛον, ἀλλη ΘΕΟC ΠΟΛΥΘΕΟC, μαλλον δε ΠΑΝΘΕΟC, QVATERNARIVS *magno ipſis eſt miraculo*, NOVVS DEVS *&* *quidem* MVLTIPLEX, *vel potius* OMNIDEVS (36).

§. X.

In tetracty Pythagorica latitare nomen tetragrammaton.

Quare cum tam ſplendide, tamque magnifice de QVATERNARIO ſuo ſentiant & loquantur Pythagorei, vt non vulgare quidpiam, nec abiectum, verum omnis ordinis, omniſque ſapientiæ conditorem, deum ipſum, innuant, vitio certe non vertendum videtur illis, qui ineffabilis nominis, vti nonnullis dicitur, (quod ob quaternarium litterarum, quibus conſtat, numerum τετραγραμματον adpellari ſolet), veſtigia ſibi deprehendiſſe ſunt viſi. Huius opinionis ſi non auctor PHILO exſtitit, eidem certe excogitandæ occaſionem ſuppeditaſſe videtur. Poſtquam enim de ſacratiſſimo hoc nomine dixerat, inſcriptum fuiſſe coronæ ſummi ſacerdotis, ſermonem inde ſtatim ad τετρακτυν deflectit, easdemque nomini τετραγραμματω virtutes adſcribit, quas alias Pythagorei tetracty ſuæ, decantatæ adeo, tribuere ſolent. Τετταρας ἐχον, inquit, γλυφας ὀνοματος, ὁ μονοις τοις ὠτα και γλωτταν σοφια κεκαθαρμενοις θεμις ἀκȣειν και λεγειν ἐν αγιοις, ἀλλῳ δ' ȣδενι το παραπαν ȣδαμȣ. τετραγραμματον δε τ' ȣνομα φησιν ὁ θεολογος ἐιναι. ταχα πȣ συμβολα τιθεις ἀυτα των πρωτων ἀριθμων, μοναδος και δυαδος και τριαδος, και τετραδος. ἐπειδη παντα ἐν τη ΤΕΤΡΑΔΙ. σημειον και γραμμη, και ἐπιφανεια και ϛερεον, τα μετρα των συμπαντων. Quæ SIGISM.

(35) p. 463. (36) biblioth. p. 459-467.

GISM. GELENIVS ita conuertit: *inſculpta erat* (lamina aurea) *quatuor litteris nominis illius, quod ſolis aures linguamque ſapientia purgatis fas eſt audire nominareque in ſacris, præterea nemini. Id theologi aiunt eſſe tetragrammaton, fortaſſe quod ſignificet primos numeros, vnum, duo, tria, quatuor.* QVATERNIONI *enim inſunt omnia, punctum, linea, ſuperficies, ſoliditas, menſura vniuerſorum*, & quæ ſequuntur (37). Verum ex recentioribus ſcriptoribus ſunt, qui hoc argumentum excuſſerunt, & rationibus exquiſitis demonſtrare adlaborarunt, Pythagoram in notitiam nominis τετραγραμματȣ incidiſſe, illudque ne propalando pollueret, inuoluto τετρακτυος nomine obtexiſſe. Hoc inde a primis ſtatim renaſcentium litterarum cunabulis demonſtrare eſt adniſus FRANC. PICVS, Mirandolæ comes, cuius verba exhibet Cl. WAEYENVS (38). Idem facere eſt adgreſſus vir doctiſſimus IO. SELDENVS (39), maiori vero ſtudio & contentione, hoc vt euictum daret, eſt molitus, quem §. I. nominaui, GODEFRIDVS VENDELINVS. Eandem hanc ſententiam, ſed dubitanter admodum, proponit EL. SCHEDIVS (40). Illuſtr. Abrincenſium epiſcopus PETR. DANIEL HVETIVS eidem tamquam veri perſimili coniecturæ pollicem premit (41), nec ab illa alienus eſt cel. Ienenſium quondam theologus FRANC. BVDDEVS (42). Alios nominat V. C. IAC. BRVCKERVS (43), qui ſimul exiſtimat, quid per tetractyn ſuam intellectum voluerit Pythagoras, vbi a numeris diſceſſerimus, & ad res, quæ ratione & conſilio abſoluuntur, tranſtulerimus, coniectura perſpici non poſſe.

§. IX.

(37) de vit. Moſ. p. 670. (38) de numer. ſepten. p. 40. 41. (39) de diis Syr. ſyntagm. II. c. I. p. 135. 138. (40) de diis German. L. I. c. XII p. m. 230. (41) demonſtr. euangel. c. II. §. 8. p. 54. & 281. (42) diſſ. de hæres. Valent. §. XV. p. 465. (43) hiſt. philoſ. P. II. L. II. c. X. quæſt. XVI. p. 124. 125.

§. XI.

Proponuntur rationes, quæ pro hac sententia proferuntur, & examini subiiciuntur.

Rationes, quæ pro sententia hac militant, sunt petitæ, (1) a conuententia nominum, vt enim τετραγραμματον natales suos debet quatuor litteris, quibus constat; ita etiam τετρακτυς, vel τετρας ad quaternarium numerum originem suam refert. (2) Quia vti nomen τετραγραμματον sacrosanctum, ac mysteriis plenum habebatur Iudæis, ita pariter τετρακτυς Pythagoreis: vt, qui per illam iuraret, per Pythagoram, & omnia Pythagoreorum sacra iurasse censeretur. (3) Sententiam hanc probabili fulciunt ratione, a tempore petita. Pythagoram sc. apud Babylonios versatum esse, quo tempore Iudæi ibidem captiui detinebantur, speciatim vero illud ex Daniele, magorum tum temporis principe, haurire potuisse. Audiamus SELDENVM, mentem suam ita explicantem: *quam facile fieri potuerit, vt is Iudaicum nomen dei; nec prorsus absconditum, nec temere propalandum disceret, & τετρακτυν vocaret* (44). Argumenta hæc licet speciem habeant, & magnum verisimilitudinis colorem præ se ferant, tamen vbi accuratiori subiicuntur examini, locum suum minus tuentur, quod iamdum monuit, quem modo laudaui, BRVCKERVS. Quod enim (α) attinet argumentum, a conuenientia vtriusque nominis depromtum, illud vltra quaternarii notionem non procedit. Quemadmodum enim τετραγραμματον a quatuor litteris, sibi inuicem iunctis, nomen habet, ita etiam Pythagoreorum τετρακτυς nudam tantum quaternarii numeri notionem inuoluit, non vero rem declarat, in qua numerus ille quærendus. (β) Concedo, mysteriorum plenam habitam fuisse tetractyn Pythagoreorum, illamque singulari quadam religione prosecutos fuisse; sed inde nondum sequitur, fuisse propaginem τετραγραμματου, a Iudæis ad Pythagoreos transmissi, ab iisdemque adoptatum fuisse.

(43) p. 138.

fuisse. Quid per τετρακτυν suam sit intelligendum, Pythagorei definiunt, vim vero ac potestatem του τετραγραμματου Iudæos latuisse, nec illorum quemquam, pontifice excepto, efferre potuisse, ad vnum fatentur omnes. (γ) Dubitarim, num sacrosanctum nomen יהוה illo tempore, quo Iudæi in Babylonia captiuitatis ac exilii tædia tolerabant, sub nomine ארבע אותיות *quatuor litterarum* fuerit in vsu: existimauerim potius, illud Iudæis græcissantibus in acceptis esse referendum, maxime a quo tempore hæc inter Iudæos inualuit opinio, integrum non esse cuiquam, illud suis pronuntiare litteris. Hoc vero sub secundo demum templo euenisse, admodum est probabile. Sed enim Pythagoras illo temporis articulo Iudæos adiit, quo ipsi patrio solo exciti apud Babylonios, inque vicinis oris hærebant, & ab illa posterioris æui consuetudine adhucdum alieni erant. Equidem, quod IAMBLICHVS refert, *αἰδω μεν ποιουμενους ὀνομαζειν Πυθαγοραν (ὡσπερ και των θεων ὀνομασι χρησθαι πολλην φειδω ἐποιουντο) δια δε της εὑρεσεως της τετρακτυος δηλουντων τον ἀνδρα, reuerentia quidem ductos nominasse Pythagoram, quem ad modum etiam religioni sibi ducebant, vti deorum nominibus) per inuentionem vero numeri quaternarii virum indicasse* (45). Hoc tamen ex aliqua Iudæorum imitatione fecisse, censendi non sunt, sed potius vt hoc ipso palam omnibus facerent, quo honore magistrum prosequerentur ob insigne illud beneficium, quod τετρακτυν sibi manifestasset. (δ) Nec parum roboris demonstrationi nostræ accedit, vbi cum erud. FVLLERO (46) nomen τετραγραμματον ab illo demum tempore, quo diuina oracula in græcum conuersa sunt idioma, vel ad Græcos dimanauit, ἀνεκφωνητον haberi cæpisse, statuimus, in quorum lingua ה, quod

(45) de vit. Pythag. p. 126. 127. (46) miscell. sacr. l. IV. c. XIII. p. 1040.

ה, quod bis in nomine יהוה occurrit, efferri minus poteſt. Quando autem Iſräelitarum apud Babylonios mora interpretationem græcam LXX. ſenum per haut exiguum temporis decurſum anteuertit, certum eſt, Pythagoram nominis tetragrammati notitiam a Iudæis haurire non potuiſſe.

§. XII.

Tetractys Pythagoreis eſt deus: ſed a materia non ſeiunctus, verum cum illa confuſus, vt ex illo res omnes profluant, in & cum illo ſubſiſtant.

Sed prius quam ſententiam meam exponam, cauſſæ meæ plurimum ſeruiet, ex §. IX. repetiuiſſe, Pythagoreos per tetractyn ſuam deum ipſum intellexiſſe, ſed non a materia diſtinctum, verum cum illa confuſum ac permiſtum adeo, vt ſingulas eiusdem partes peruaderet ac animaret. Per *τετραδα* intelligendum eſſe *θεον νοητον, ἀιτιον του ὀυρανου και αισθητου θεου* in ſuperioribus ex HIEROCLE demonſtrauimus. Per *θεον νοητον* non eſt intelligendus niſi deus, qui mente tantum & animo a nobis cognoſcendus, ſed *ἀισθητος θεος*, qui ſenſus noſtros mouet, eosdemque diuerſimode adficit. Vniuerſum hoc *ἀισθητον θεον* adpellat, non ea ſolum de cauſſa, quod ſenſus moueat, verum etiam & quidem præcipue, quod ſentiendi facultate ſit inſtructum; ſingulas quippe partes eiusdem dei partes eſſe autumabant, & deus per ſingulas illas diffuſus eſſe iudicabatur, *ἡσπερ ὡς ἀιδιου τε και ἀγεννητου μερος ἑκαστη και ἀπορροια* (47). Adpellat non ſolum *μερη partes*, verum etiam *ἀπορροιαν defluxum ac effluuium* aliquod, ex ipſo deo progrediens, ſubſiſtens tamen in illo, vnumque cum eo conſtituens. Hoc omne ſuæ *τετρακτυ* adtribuunt, vnde quatuor elementa, quæ rebus omnibus ortum dederint, defluxerint. Illud ex Pythagoreorum mente explanat PHILO, dicens: *ὁτι τη του παντος, ὀυρανου τε και κοσμου γενεσει γεγονεν ἀρχη τα γαρ τεσ-*

(47) PORPHYR. de vit. Pythag. p. 36.

τεσσαρα ϛοιχεια, ἐξ ὡν τοδε το παν ἐδημιουργηθη, καθαπερ ἀπο πηγης, ἐρρυη της ἐν ἀριθμοις τετραδος, vniuerſo huic, cælo pariter atque mundo ortum præbuit, quatuor enim elementa, ex quibus totum hoc vniuerſum eſt fabricatum, tamquam ex fonte numeri quaternarii defluxerunt (48). Cum igitur ex ipſorum mente *τετρακτυς* cauſſa rerum omnium exiſtat, ſponte ſua illud ſequebatur, numerum hunc facere & ad rei qualiscumque exiſtentiam, & ad illius decus ac perfectionem. Quare HIEROCLES dicit, quod ſit *πηγη της ἀεννάου Φυσεως ου μονον του ἐιναι τοις πασιν, ἀλλα και του ἐυ ἐιναι ἀιωνιος ἀιτια καθεστηκε το ὀικειον ἀγαθον δια παντος ἐφαπλωσασα του κοσμου, ὁιον Φως ἀκηρατον και νοερον, fons perennis naturæ non ſolum ad exiſtendum omnibus, ſed etiam ad bene exiſtendum, æterna cauſſa, proprium bonum, vbique per vniuerſum tamquam lux incorrupta & intellectualis ſe expandens* (49). Igitur *τετρακτυς* eſt ipſe ille deus, quem per vniuerſum mundum ita ſparſum ac diffuſum eſſe arbitrantur, adeo vt per ipſam omnia ſubſiſtant (50). Hinc qui *τετρακτυν* probe perſpectam cognitamque habebat, qua ratione ſingula huius vniuerſi corpora ex æterno deo proceſſerint, quis nexus, quæ harmonia inter ſingula intercederet, quoque ordine inter ſe continerentur, is certe in philoſophiæ cognitione plurimum profeciſſe ſibi videri poterat: *ἐϛι γαρ ἀυτοις των τε Φυσικων ἀποτελεσματων πηγη, και κλειδουχος της Φυσεως. ἀλλα και της κατα τα μαθηματα συϛασεως τε και διαμονης ἀυτη προσαγωγος και ἀιτια. ἀλλα και ἀυτη Φυσις και ἀιολα, eſt enim ipſis naturalium effectuum fons & naturæ clauiger; quinimo & hæc ad diſciplinarum conſtitutionem & permanſionem ducit, earundemque cauſſa exiſtit. Ipſa quinetiam eſt natura & varietas* (51). Igitur tetractys eſt deus cum natura confuſus & permiſtus, non tam

 πολυ-

(48) de mund. opif. p. 11. (49) p. 174. (50) HIEROCL. c. I. p. 176. (51) NICOM. GERASENVS arithm theol. ap. Photium p. 463.

πολυθεος quam πανθεος, vt qui ipſam noſſet, & deum & mundum ſibi notum reddidiſſet. Quare hanc tamquam teſſeram & compendium totius philoſophiæ ſuæ diſcipulis commendauit Pythagoras, vt, qui per illam iuraret, ſacratiſſimo quodam iureiurando ſe obſtrinxiſſe iudicaretur. Nec quidquam hic adfirmo, quod non cum Pythagoreæ ſcholæ placitis apprime conueniat. Ea de tetracty pronuntiant, quæ nonniſi excellens aliquid atque diuinum philoſophiæ Pythagoreæ ſectatoribus obiicere poterant. Sed & illud eſt in propatulo, diuinam mentem non ab rerum corporearum compage ſeiunxiſſe, ſed potius immiſcuiſſe. Cum creationem ex nihilo intellectu ſuo adſequi non poſſent, continuam tamen rerum, quas vniuerſum hoc ambitu ſuo complectitur, mutationem obſeruarent, omnis illorum cura eo eſt conuerſa, vt docerent, qua via mentes omnes, omnesque ſubſtantiæ, earundemque nexus mutuus ex mente diuina promanarint, in & cum illa ſubſiſterent, in eandemque rurſus reciderent (52). Quod cum pro certo tenerent, aliter fieri non poterat, quam vt deum quoque per omnes res huius vniuerſi diffuſum ſtatuerent, omnesque res peruadere & animare decernerent. Quod ipſum ne longi ſimus clariſſimis teſtimoniis comprobatum dedit idem BRVCKERVS (53).

§. XIII.

Pythagoram de doctrina trinitatis aliquid perſpectum habuiſſe, illudque ſub tetracty ſua latere voluiſſe.

Sed enim qualia demum cumque hæc ſint, nondum tamen liquet, qua de cauſſa deus cum natura confuſus, τετραδος vel τετρακτυος nomine fuerit inſignitus.

(52) BRVCKERVS de conuen. num. cum ideis Plat. inſert. SCHELHORN. amoen. litter. T. VII. §. IX. p. 213. 214. hiſt. philoſ. P. II. l. III. c. X. §. 10. p. 110. (453) cit. diſſ. §. 10. p. 216-221.

tus. Hæc igitur mea eſt hypotheſis. Pythagoram aliquid de Deo, in tribus ſubſiſtente perſonis, inter Iudæos inaudiuiſſe, illamque doctrinam poſtea ad philoſophorum orientalium, antiquam ſane, opinionem, qua mundum ex ipſo deo prodiiſſe, deumque huic animæ inſtar non tam præeſſe, quam intereſſe, cunctisque rebus ſpiritum, motum, vitam, decus & harmoniam conciliare, adcommodaſſe. Inter Iudæos priſcos doctrinam de ſ. trinitate viguiſſe, dubium vix eſt vllum, cum absque hac nec deum patrum ſuorum rite colere, nec diuina vatum oracula intelligere potuiſſent. Cum vero Pythagoras cum Iudæis fuerit verſatus, idque vbique locorum omni virium contentione egerit, vt in rerum vel maxime abditarum ſcientiam ſe immitteret, dubio vix caret, quin aliquam myſterii huius notitiam ſibi parauerit. Cum Pythagoræ ac diſcipulorum illius ſcripta perierint, equidem hoc non ita liquido probari poteſt, Platonem vero hic aliquid per transſennam quaſi vidiſſe, & plures adſeuerant, & ex ipſius ſcriptis haut obſcure demonſtrari poteſt. Plato vero in rebus, quæ ſola mente percipiuntur, ducem cum primis ſectabatur Pythagoram. Quippe enim, teſte LAERTIO, μιξιν ἐποιησατο των τε ἡρακλειτειων λογων και Πυθαγορικων, και Σωκρατικων. τα μεν γαρ αἰσθητα καθ' ἡρακλειτον. τα δε νοητα, κατα Πυθαγοραν. τα δε πολιτικα κατα Σωκρατην ἐφιλοσοφει (54). Platonem autem myſterium trinitatis perſpectum habuiſſe, loco ex Timæo producto adſeuerat CLEMENS ALEXANDRINVS. Verba ipſius hæc ſunt, περι τον παντων βασιλεα παντα ἐστι, κἀκεινου ἑνεκεν τα παντα. κἀκεινο αἰτιον ἁπαντων καλων. δευτερον δε περι τα δευτερα, και τριτον περι τα τριτα, *circa omnium regem omnia ſunt, & illius*

(54) in vit. Plat. L. III. p. m. 194. conf. BRVCKERVS in diſſ. cit. §. I. p. 181-184.

illius ergo omnia, & ipse est caussa omnium bonorum. At secunda (sc. caussa) *versatur circa secunda, tertia circa ea, quæ tertio continentur loco* (55). Conceptis verbis Plato nominat *tres caussas*, ab inuicem distinctas, quarum cuique suæ vices in fabricatione & administratione rerum omnium pro illarum ordine sint concessæ. Quas nonnisi de tribus personis diuinis intelligendas esse, sententia est CLEMENTIS, qui hæc ilico subiungit: *ȣκ ἀλλως ἐγωγε ἐξακȣω, ἡ την ἁγιαν τριαδα μηνυεσθαι. τριτον μεν γαρ ἐιναι το ἁγιον* ΠΝΕΥΜΑ, *τον δε* ΥΙΟΝ *δευτερον, δι ȣ̓ παντα ἐγενετο κατα βȣλησιν τȣ* ΠΑΤΡΟϹ, *non aliter ego hæc accipio, quam sacram trinitatem significari, tertium* sc. *esse* SPIRITVM SANCTVM, *sed* FILIVM *secundum, per quem omnia consilio* PATRIS *sint facta.* Quæ ipsa ex CLEMENTE repetit EVSEBIVS (56). Tria porro hæc principia suis peculiaribus insigniuisse nominibus, Cl. CLERICVS probatum dedit, primum sc. *το* ΟΝ ΑΙΤΙΟΝ *ἁπαντων*, secundum ΛΟΓΟΝ, tertium ΨΥΧΗΝ ΚΟϹΜΟΥ adpellasse (57). Quod vero addit notionem *τȣ λογȣ*, ad secundam sacrosanctæ trinitatis personam restrictam, ex Platonicorum scriptis mutuatam fuisse, merito a theologis reiicitur, & speciatim a WITSIO (58), WAEYENO ac VITRINGA (59) solidis argumentis est refutatum, rectius longe sentit Cel. Theologus FR. ADOLPHVS LAMPIVS, notionem *τȣ λογȣ* ex illo ויאמר, in historia creationis iterum iterumque obuio, arcessitam fuisse (60). Nec generatim tres nominant, verum etiam illis nominibus, quibus sacra oracula diuinas personas indigitant, *dei* PATRIS & *dei* FILII designasse ex PORPHYRIO

(55) strom. l. V. p. 598 conf. Petr. van EYS de Platon. Mosaiz. c. III. §. 12. p. 23. 24. (56) præpar. euangel. l. XIII. p. 675. (57) art. crit. P. II. sect. I. c. XV. §. 10. p. 306. (58) miscell. sacr. T. II. exerc. III. §. 9-17. p. 95-101. (59) obseru. sacr. L. V. c. X. p. 140-147. (60) diss. de origin. nominis *λογος* hab. Vltrai. 1727.

RIO obseruat AVGVSTINVS (61). Aliqua etiam lux, ex spissis licet tenebris, ex illis ARISTOTELIS emicat, aliquam trinitatis notitiam Pythagoreis perspectam fuisse. Ita enim ille, *καθαπερ γαρ φασι και οι Πυθαγορειοι το παν και τα παντα τοις* ΤΡΙϹΙΝ *ὡρισαι. τελευτη γαρ και μεσον, και ἀρχη τον ἀριθμον ἐχει τον τȣ παντος. ταυτα δε τον της* ΤΡΙΑΔΟϹ. *διο παρα της φυσεως ἐιληφοτες ὡσπερ νομȣς ἐκεινȣς, και προς τας ἁγιστειας των θεων χρωμεθα τω ἀριθμω τȣτω, quemadmodum enim Pythagorei dicunt, vniuersum hoc & quæcumque in illo sunt,* TRIBVS *sunt definita. Finis enim & medium & principium, hunc vniuersi numerum complectitur, hæc vero illum, qui est* TRINITATIS. *Idcirco a natura, tamquam illius leges accipientes, etiam ad sacrificia deorum hoc numero vtimur* (62). Fateor subobscura sunt, quæ de Pythagoreis in medium profert Stagirita, interim tamen ex his adparet, ipsum aliquam trinitatis adumbrationem in naturæ constitutione & conformatione sibi inuenisse visum esse.

§. XIV.

Quam vero de trinitate habuerunt notitiam, illam cum vniuerso hoc ita arcte iunxerunt, vt vnum cum illo constituere sint arbitrati. Deum vniuersi caussam docuerunt quidem, sed talem, quæ ab effecto distincta non sit, cuiusque effectus in ipsa caussa maneat & subsistat, ac cum illa vnum aliquod constituat. Hoc iam ope ANIMAE mundi fieri arbitrabantur, per quam spiritum sanctum intellexisse docet EVSEBIVS: *ἐπι το πρωτον θεον ἀναγȣσιν, ἐπι τε δευτερον αἰτιον, και τριτον την τȣ* ΚΟϹΜΟΥ ΨΥΧΗΝ, *θεον τριτον και αὐτην ὁριζομενοι ἐιναι, ad primum deum, & ad secundum principium (caussam) referunt, tertium* MVNDI ANIMAM, *quam ipsam etiam tertium deum*

Illud autem, quod de trinitate cognitum habebat, cum sua de mundo ex deo emanante opinione confudisse.

(61) de C. D. l. X. c XXII. (62) de cæl. l. I. c. I. opp. T. II. p. 596.

deum esse definiunt (63). Sed vt tandem summam aliquam cogitationum mearum conficiam, breuibus dico. Si Pythagorei ea TETRACTY adscripserunt, quæ summo alias deo, vniuersi opifici, adscribere solent, itemque dogma sacrosanctæ trinitatis aliunde cognouerunt, illam vero cum vniuerso hæc ita commiscuerunt & confuderunt, vt vnum tantum cum illa constituerit, in illam pronus eo sententiam: Pythagoreorum TETRACTYN effictam esse ex deo TRINO cum NATVRA, ex illo per *emanationem* aliquam & *effluuium* quoddam prodeunte, confuso & commixto. Nihil hic adfirmo, quod non principiis philosophiæ Pythagoreæ sit congruum. In tetracty Pythagorea aliquid Christianorum doctrinæ de diuinarum personarum trinitate consonum deprehendit iamdudum LVCIANVS, perspicacis quidem, sed simul peruersi animi homo, qui, quo Christianorum de trinitate doctrinam profanorum hominum sannis & ludibrio exponeret, illam την Τετρακτυν την Πυθαγορȣ sarcastice & impie adpellauit. Sacrosanctam enim trinitatem petere, ex omnibus, quæ in dialogo, cui nomen *Philopatridi*, habentur, satis adparet. Iubens enim Critias vt iuraret, Triephon hunc in modum iusiurandum concipit: ὑψιμεδοντα θεον, μεγαν, ἀμβροτον, ȣρανιωνα, ΥΙΟΝ ΠΑΤΡΟϹ, ΠΝΕΥΜΑ ἐκ πατρος ἐκπορευομενον, ἑν ἐκ τριων, και ἐξ ἑνος τρια ταυτα νομιζε, *per deum alte regnantem, magnum, immortalem, cælestem,* FILIVM *patris,* SPIRITVM *ex patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria hæc* (esse) *existima.* Hunc autem deum, quem ita descripserat, in seqq. cum tetracty confert, quod certe minus fieri potuisset, nisi impius homo sciuisset, in illa latere aliquid, quod vel Pythagoras ex doctrina hac fuerit suffuratus, inque philosophiæ suæ compagem inuexerit, vel cum doctrina hac componi posset. Quæ adhuc dixi, suisque rationibus confirmaui, lucem aliquam mutuari possunt ex Valen-

(63) præp. Evangel. l. XI. c. XX. p. 541.

Valentinianorum portentosa hæresi, qui non minus ac Pythagorei ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ aliquam, THEODORETO teste (64), admiserunt. Valentinianorum hæresin gnosticorum esse propaginem, ex doctrinæ Christianæ, philosophiæ cabbalisticæ, Pythagoricæ & Platonicæ mistura ortam, viri docti dudum mouerunt. Aeones, quorum alii ex aliis prodibant, natales suos debent kabbalistarum Sephiroth, quibus, Cel. VITRINGA iudice, nihil aliud intenderunt, quam vt *explanarent attributa dei, quæ cum summa perfectione necessario connexa sunt, quæ certo studuerunt digerere ordine, vt vnum quasi ex alio procederet; tum reliqua, quæ præter deum existunt, entia, quæ statuerunt esse ex deo per* EMANATIONEM; *siue intellectualia, siue corporea* (65). Horum æonum, quos mutuis συζυγιαις contineri dictitabant, primum adpellabant ΤΕΛΕΙΟΝ, quem etiam προαρχην, προπατορα & βυθον nuncupabant, eidemque connubii societate ἐννοιαν adiungebant, ex vtriusque coniunctione alteram συζυγιαν, scilicet ΝΟΥΝ & ΑΛΗΘΕΙΑΝ procreatam esse autumabant. De his duabus συζυγιαις autem pronuntiat THEODORETVS, τας δε δυο ταυτας συζυγιας, Πυθαγορικην ὀνομαζȣσι ΤΕΤΡΑΚΤΥΝ και ῥιζαν παντων καλȣσι, *has duas coniunctiones* siue coniugum paria *Pythagoricam adpellant* TETRACTYN *& radicem omnium.* His plane gemina sunt, quæ ex IRENAEO produxit cel. VITRINGA, cuius verba apud ipsum legi possunt (66). Quando autem fundamentum X. sephiroth cabbalistarum est doctrina de sacrosancta trinitate & attributis, quæ deus tum in opere naturæ, tum in opere gratiæ manifestauit (67), Valentiniani vero Cabbalistarum doctrinam cum Pythagoreorum scitis confuderunt, ad veritatem proxime accedit, per tetractyn suam sacrosanctam triadem & mundum visibilem, ex illa emanantem, indicare.

 §. XV.

(64) de heret. fab. p. m. 87. (65) obseru sacr. l. I. diss. II. c. II § 2. in not. p. 158. (66) c. I. p. 139. 140. in not. (67) VITRINGA c. I p. 145.

§. XV.

Breuis dictorum ἀνακεφαλαιωσις.

Sic igitur ſententiam noſtram de τετρακτυ Pythagoræ explanauimus, in qua ſi minus recte a nobis aliqua ſint definita, vitio nobis minus vertet æquus rerum rbiter, qui conſiderauerit, quantis tenebris ſyſtema hoc philoſophicum ſit obiectum. Numerorum doctrinam ad rerum exiſtentium naturam explicadam adcommodaſſe Pythagoram conſtat, quibus tantam vim atque efficaciam adſcripſit, vt vel ipſi principiorum rationem haberent. Quando autem per hos numeros rerum omnium, tum quæ intellectu & voluntate gaudent, tum quæ mole aliqua atque extenſione ſunt præditæ, naturas declarare eſt adgreſſus: certe numerorum horum ratio non in ipſis rebus, quæ effluuia quædam diuinæ mentis reputabantur, ſed in ipſo deo eſt quærenda. Liquet hoc quam clariſſime ex illis, quæ de tetracty in ſuperioribus adtulimus. Equidem nolim dicere, carmina, ſic dicta aurea, quæ Pythagoræ nomen præferunt, ab ipſo philoſopho Samio profecta, ſed potius ab aliquo diſcipulorum ex mente magiſtri concinnata fuiſſe, quo haberent, in quo induſtriam ſuam exercerent, doctrinæque & virtutis cultu ad perfectionis apicem contenderent. Quando igitur in his carminibus τετρακτυς dicitur παγα ἀεναου φυσεως, per tetractyn tale quid intelligi oportet, ex quo rerum omnium fons & origo repetenda, & per quod illæ omnes perpetuo ſubſiſtunt. Sed vero deum a materia non diſtinxerunt, verum potius cum illa confuderunt §. XII. Nihil igitur impedit, quo minus per τετρακτυν ipſum deum cum naturis intelligibilibus & corporeis colligatum ac confuſum, ex mente Pythagoreorum intelligamus. Nullum hic in demonſtratione vitium committimus, talia præmittendo principia, quæ ex doctrina Pythagoræ ſponte ſua conſequuntur. Nec illud male habeat aliquem, me Chriſtianorum de trinitate dogma cum profana Pythagoreorum doctrina temere committere. Ego loquor hic ex ſententia Pythagoreorum, nec ratione carere iudico, Pythagoram in aliquam veri dei, in tribus perſonis diſtinctis exiſtentis, notitiam incidiſſe, illam vero cum impia ſua de emanatione rerum omnium ex diuina mente opinione turpiſſime coniunxiſſe. Et ſi quis etiam hoc de Pythagora diffiteri ſuſtineat, ipſum myſterii huius notitiam neutiquam cognitum habuiſſe, hoc tamen ſententiæ noſtræ nihil derogat. Non tam quærimus de eo, quid Pythagoras ſenſerit, qui philoſophiam non ſcriptis complexam, ſed pectoribus clauſam voluit, ſed de eo, quod diſcipuli eius de hac tetracty litteris conſignatum reliquerunt. Conſtat autem philoſophos profanos, qui ea tempora viuendo attigerunt, quibus doctrina Chriſti quoquouerſus ſpargebatur, multa Chriſtianorum dogmata philoſophematis ſuis adaptaſſe, quo ſic & ſuis & aliis fucum facerent, incremento religionis Chriſtianæ obicem ponerent, ruentibusque fictitiorum deorum rebus ſuppetias ferrent. Hoc præ aliis Pythagoreos & Platonicos feciſſe, nec leuem rei Chriſtianæ his ſuis inſidiis cladem intuliſſe, a viris doctis iamdum eſt monitum. Eleganter admodum & in rem noſtram compoſite dicit cel. MOSHEMIVS (68): *quisquis iuniorum Platonicorum libros attentius inſpexerit*, is vniuerſe *verum illud ſentiet, quod a Chriſtianis crimini illis datum eſſe diximus, nec paucas loquendi formas, ſententias, præcepta & monita in* illis *offendet, quæ manifeſto Chriſtianam diſciplinam ſapiunt, ſectamque hanc ab iis ſeſe doceri paſſam eſſe demonſtrant, quorum res & rationes exſtinctas & euerſas ſummopere cupiebant.* Platonicis autem Pythagorei accenſendi, quia Plato pleraque ſua de rebus ſpiritualibus ex Pythagora mutuauit. Recentioribus Platonicis cum primis accenſendi Iamblichus, Porphyrius, Hierocles, quos aliquoties nominauimus, quique Pythagoream & Platonicam philoſophiam inuicem componere adlabora-

(68) diſſert. deturbata per recent. Platon. eccleſ. §. 18. diſſ. ad H. E. pertinent. p. 34.

borarunt. Speciatim hoc ipsum de trinitatis mysterio demonstratum dedit (69), qua ratione iuniores Platonici tribus Platonis principiis illud aptarint.

TANTVM!

(69) diff. de stud. ethnic. Christian. imitand. §. 13. p. 362-365.

THESES a RESPONDENTE adnexae.

I. *Vti voluntas in homine est principium actiuum, ita in* DEO *actuosa est maxime.*

II. *Prouidentiam diuinam dari, & absoluta* DEI *independentia, & rerum creatarum conditio, & pulcerrimus, qui in hoc vniuerso deprehenditur, ordo abunde euincunt.*

III. *Etiam angelorum & hominum actiones* DEI *prouidentiae subsunt.*

IV. *Circa actiones malas* DEVS *sua prouidentia ita versatur, vt modum illis ponat, & ad fines sibi gloriosos dirigat.*

V. *Demonstrationes philosophicae, quae ex sanae rationis principiis iusta ratiocinationis lege fluunt, aeque certae sunt, ac quae ex sacris litteris instituuntur.*

VI. *Intellectum a voluntate quodammodo pendere, non una ratione demonstrari potest.*

VII. *Intellectus actiones sunt immanentes, voluntatis vero transeuntes.*

VIII. *Constantinum M. rationibus politicis motum, Christo fidem dedisse, solida ratione probari nequit.*

IX. *Imperii Assyriaci potentia in primis suis initiis tanta non fuit, quanta a nonnullis scriptoribus commemoratur.*

X. *Regis Artaxerxis Longimani annum vigesimum, in annum fere* CCC *ab vrbe Roma condita incidere, probabile est.*

